



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1658

Sect. I. Qvinam libri sacræ scripturæ sint canonici.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38954

SECTIO I.

Quinam libri sacre Scripturae sint canonici?

Cum Concil. Trident. sess. 4. supra citata sacram Scripturam vocet Canonicam, eiusque legitimos libros iam olim appellari consueuisse canonicos testetur S. Aug. epist. 19. cap. 2. ad S. Hieronymum; obseruandum est ad faciliorem intelligentiam eorum, quae dicenda sunt, sic appellari duabus de causis ex duplici vocabuli (canonis) significatione desumptis: Canon enim significat normam aliquam seu regulam, & praeterea catalogum seu numerum aliquarum rerum. Scripturae sacrae igitur vocantur canonicae, & earum libri canonici, tum quia continent normam seu regulam, quam in fide & moribus sequi debemus, tum etiam quia, cum haeretici iam à primis Christianissimi temporibus, ut veritati fucum facerent, erroribusque suis patrocinarentur, aliquando falsas scripturas pro veris supponerent, aliquando veras pro libito repudiarent; Ecclesia eorum fraudibus & impijs conatibus obistere volens, certum canonem & catalogum librorum sacrae Scripturae constituit; vnde libri illi, quos Ecclesia pro veris & legitimis agnouit, canonici dicti sunt.

Hoc colligi potest ex varijs Concilijs, praesertim ex Concilio Carthaginensi tertio, quod celebratum est temporibus Siricij Papae circa annum Domini 397. in cuius canone 47. haec verba leguntur: *Placuit, ut praeter scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine diuinarum scripturarum: sunt autem canonicae scripturae, Genesis, Exodus, Leviticus, &c.* Vbi eosdem libros canonicos enumerat, qui postmodum in Concilio Tridentino sessione supra citata recensiti sunt.

De ijs autem libris canonicis duo sunt hic obseruanda: primum est ad Ecclesiam pertinere veram & legitimam Scripturam canonicam populo Christiano, ut talem proponere,

ponere, eamque à falsa & supposita scriptura discernere. Hoc constat tum ex usu ipsius Ecclesie supra relato, quo illius scripturæ canonem constituendi ius atque auctoritatem perpetuò sibi vendicauit, tum ex S. August. lib. contra epist. fundamenti cap. 5. vbi sic loquitur: *Euangelio non crederem; nisi me Ecclesie Catholica commoueret auctoritas: & paulò post loquens de libro Actuum Apostolorum: Cui libro, inquit, necesse est, ut credam, si credo Euangelio; quoniam utramque scripturam similiter mihi catholica commendat auctoritas.*

Secundum est, nihil in scriptura canonica contineri, quod non fide diuinà tenendum sit. Hoc expressè definitum est in Concil. Trident. loco citato, vbi post enumerationem librorum canonicorum hæc habentur: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperit; anathema sit.*

Vnde patet omnino repudiandum esse id, quod Erasmus dixit in annotationibus suis super caput 2. & 27. S. Matth. posse aliquem errorem leuem in sacris libris reperiri, & sanctos Euangelistas aliquando memorià lapsos esse. Quanto humilior & sapientior dixit S. August. scribens ad S. Hieron. epistolà supra citatà cap. 1. Ego, inquit, fateor charitati tue, quod libris illis scripturarum, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam; ac si aliquid in eis libris offendero, quod contrarium videatur veritati, nihil aliud quam *vel mendosum codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam.*